

SPECIMEN ACADEMICUM  
DE  
PRÆSTATIONE DAMNI & INTERITUS  
RERUM IN CONTRACTIBUS, OBSER-  
VATIONES GENERALES SISTENS,

QUOD

CONS. AMPL. FACULT. PHILOS. ABOENS.

PUBLICO EXAMINI MODESTE OFFERT

JOH. GUST. RANCKEN,

*Hist. Docens nec non S. V. Confessorii Eccles. v. Notarius.*

RESPONDENTE

GUILIELMO MALMSTEN,  
*Boreali.*

In Auditorio Medico d. XXXI Octob. MDCCCX.

M. A. M. S.

PARS I. ii

---

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS,

VIRO

ADMODUM REVERENDO ATQUE PRAECLARISSIMO

D:o JOHANNI HELSINGBERG

*Ecclesiarum in Laethala & Hinnerjoki Præposito & Pastori  
Meritissimo*

FAUTORI, EUERGETÆ,

*Animi gratissimi, plurimis beneficiis obstricti, pignus quale-  
unque offerre studens, pagellas hascas sacras esse voluit, debuit*

NOMINIS ADMODUM REVERENDI ATQUE  
PRAECLARISSIMI

*cultor humillimus*

GUILIELMUS MALMSTEN.



§. 1.

**M**utuo cum semper indigemus aliorum auxilio; tam in operis nostræ utilitatis causa præstandis, quam in usu rerum, ad alios pertinentium, constante, de neutris autem, sine dominorum consensu, disponere libertas & dœminii natura regulariter permittat, quanta PACTORUM sive CONTRACTUUM ad vitæ humanæ commoda augenda sit vis, facile intelligitur. Hinc vitam socialem ubique pactis contineri videmus, quippe quorum ope homines primum a vita solitaria ad societates minores processerunt, deinde sensim ad artificiose connexas moles societatum Civilium surrexerunt, quæ & ipsæ fundamento nituntur aut certe niti debent pactorum, cum inter imperantem & subditos, tum inter subditos ipsos initorum, atque hoc præ ceteris singulare habentium, quod eorum tandem ope firmitas roburque reliquis accedat. Gravis igitur longaque in Jure Naturæ est de contractibus doctrina, ob infinitam objectorum, circa quæ versantur, varietatem diversumque eorum pretium: ob innumeros contrahendi modos, quorum longe minima pars, contractuum NOMINATGRUM genus constituens, peculiarique nomine insignita, separatim in Jure tractari potest, reliqui multo plures INNOMINATI præceptis

A

univer-

universalibus comprehendendi solent: ob diversa, quæ ab initio pacti ineundi usque ad ejus exsecutionem se excipiunt momenta, sibi invicem succendentia: ob perpetua, quæ in mundo materiali libertati nostræ se opponunt impedimenta, sermonis denique ambiguitatem, cœf. Quæ inter cum quæstio, *De præstatione damni & interitus rerum in contractibus*, haud levissimum constitutat locum, speciminis loco observationibus generalibus eandem, quatenus vires permiserint, explicare conati sumus, quid in hoc conamine profecerimus, justorum opellæ censorum judicio relinquentes.

### §. 2.

Ad essentiam pacti (a) cujusque a parte alterius pæfidentium *Promissionem*, a parte alterius *Acceptationem*, quo unitas voluntatis locum habeat, pertinere notum est. Cum vero insuper in omnibus pactis, quæ de rebus præstandis in-euntur, illas tradi necesse sit, *Traditionis* autem effectus in quæstione nostra sit maximus, eum heic executere a consilio nostro haud alienum videbitur.

Id quidem per se patet, nudam traditionem, nisi titulus adquirendi justus accesserit, ad dominium transferendum non sufficere, cum ea tantummodo sit actus externus, plurimis pactis communis, etiam in quibus dominium a priore posseffore retinetur. (b) GROTIUS quidem ad *Domini translationem natura-*

a) Distinctionem inter *Conventiones* & *pacta* in *Digest. Lib. II. Tit. XIV. Leg. I.* occurrentem, & aliam PUFENDORFII in *Jure Naturæ & Gentium Lib. V. Cap. II. §. IV.* allatam, ut nullius in Jure Naturæ utilitatis, non attendimus.

b) Per traditionem quoque jure naturali nobis res adquirri, dicitur in *Instit. Lib. II. Tit. I. §. 40.* & *Hæ quoque res, quæ traditio-*

naturaliter traditionem non requiri, dicit (c) sed hoc esse ex lege civili, quæ, quia a multis gentibus recepta est, jus gentium improprie dicitur (d). PUFENDORFF (e) dominium, ut qualitatem moralem consensu alterius acquisitam, a facultate Physica de re disponendi distinguens, illud per nudam conventionem absque traditione comparari urget, hanc vero, quo dominium se exercere posit, necessariam esse concedit, distinctione non admodum subtili, cum facultas Physica per se, jus ipsum neque augeat neque minuat, atque heic jam non quaestio sit, an jure dominii uti possimus, nec ne, sed an id ipsum a priore domino ante traditionem perfecte ad nos transierit?

Nobis quidem primo observanda videtur divisio pactorum in *Realia & Consensualia* (f). Illa ad sui substantiam ita requiri.

A 2

ne nostræ fuit, jure gentium nobis adquiruntur, juxta Digest. L. XLI. Tit. I. Leg. IX. §. 3 sed cum l. c. §. 5. addatur: interdum etiam sine traditione nuda voluntas domini sufficit ad rem transferendam, & paullo post. Leg. XXXI. §. I. PAULUS adserat: numquam nuda traditio transfert dominium: sed ita, si venditio, aut aliqua justa causa præcesserit, propter quam traditio siqueretur, facile vel ex his, præter multa alia loca, patet, traditionem, quo effectum habeat, justo fundamento nisi debere. Cfr. SCHOEPFERI Illustrata synopsis, a KOLSHORNIO aucta, Francfurti & Lipsie 1717 ad Digest. L. XLI. Tit. I. qui tamen, secundarium pro proprio ponens, traditionem inter modos adquirendi enumerat, cum potius justa causa, quam ei subjungit, antecedere debeat & hanc comitetur traditio.

c) De Jure Belli & Pacis, L. II. C. VIII. §. 25.

d) l. c. L. II. C. VI. §. 2.

e) Libro cit. L. IV. C. IX. §. VIII.

f) SCHOEPFER l. c., Lib. XII. Tit. I. PUFENDORFF L. V. C. XI. §. 6.

requirunt traditionem, ut re nondum tradita, nulla a parte accipientis contracti censeatur obligatio, ut in mutuo, commodato, deposito, pignore. Haec autem solo consensu perfici dicuntur, ita ut traditio ad ipsius pacti essentiam non pertineat, quippe quod, dummodo promittens & acceptans inter se convenerint, perfectum existimatur, v. c. emtio venditio, locatio conductio, societas, cet. Hinc diversa traditionis vis in utrisque facile perspicitur; in illis enim tanti est momenti, ut absque ea nullum prorsus exstet pactum, atque non nisi ea secuta a parte dantis jus, a parte accipientis obligatio, juxta naturam pacti, oriatur. Sic, antequam ex commodato obliger, commodatum me revera accepisse oportet. Consensualium vero longe alia est ratio; nam simulac ab utraque parte consensum est, utriusque jus, sibi debitum postulandi, sive *Jus ad rem*, adest, adeoque alterum ad pactum implendum cogere valet. Totum igitur ipsius jus personam paciscentis sequitur, qui quamdiu ei non satisfecerit, *Jus in re alter consequi nequit*. Re autem tradita hoc incipit, nititurque re sola, absque respectu personarum. Cumque absoluta demum traditione omnis actio ex contractu inter paciscentes cesset, recte quidem cum SCHOEPFERO (g), eam si non ad essentiam seu perfectionem, tamen ad consummationem pacti desiderari contendere possumus. Sic ex, gr. in emtione venditione rerum fungibilium, sive quae numero, pondere & mensura constant, aliud in eas jus, dum adhuc numeratae, ponderatae vel mensae non sunt, emtor sibi arrogare nequit, quam ut a genere discernantur sibi tradantur, nec si venditor res ejusdem generis aliis vendat, sibi injuriam fieri emtor queri potest. Dominium vero, quod non nisi in re certa & determinata locum habet, per traditionem tandem

tandem adquiritur, plurimaque secum afferit jura; emtori antea non competentia. Idem etiam in ceteris pactis consensualibus observandum est, ut momentum quoddam existet, quo jus expostulandi a paciente, ad aliud longe validius in re ipsa fundatum transisse intelligatur. Cum vero pluribus modis res, in contractibus occurrentes, pro varia ipsarum natura, tradiri possint, frequentissimeque contingat, ut traditio propria de manu in manum locum non habeat, diversas traditionis species constituant doctores, ut *propriam*, rerum corporalium, *impropriam*, rerum incorporalium, illamque iterum in *veram* & *fictam* dividunt, quarum prior est traditio stricte sic dicta, quando res mobilis in manus datur, in immobilibus autem sit per inductionem, v. c. immigratiouem in ædes conductas: posterior in signis constat, ex quibus concludi potest, rem, simulac illa adsiunt, pro tradita censendam esse, quod iterum non uno modo fieri solet, v. c. per traditionem aut longæ manus, quando res traditionis causa oculis demonstratur, aut brevis manus, quando mutuæ traditiones intervenisse singuntur, aut potius traditione nova opus non est, acquirente nimirum rem ex alio titulo jam antea possidente, si v. gr. rem depositam aut commodatam depositario vel commodatario vendam. *Symbolice* tandem tradi res dicitur, quando signa ipsius, ad eam pertinentia & cum ipsa conjuncta, dantur, v. c. claves ædium emtarum, aut cellæ, in quæ servatæ res per aversionem venditæ sunt (h). Hinc quoque antiquitus jam variæ in pactis ineundis adhibitæ sunt cæremonie, & consensum ab utraque parte datum, & traditionem rei significaturæ: quas inter notisimæ

---

h) Cf. SCHOEPFEE Lib. XLI, Tit. I §. §. 56-63, & PUFENDORF. L. IV. C. IX. §. 9.

simæ sunt manuum complexio, contrectatio baculi, & imprimis SCOTATIO, in venditione fundorum usitata (i).

### §. 3.

His de consummatione pactorum præmisisis, jam si res, objectum pacti constitvens, aut damnum capiat, aut plane intereat, cuius id periculo fiat, exponendum sequitur. Quo in examine ratio habenda est cum intellectus & voluntatis humanae, quatenus ad actionem quamcunque suscipiendam aut concurrant, aut concurrere possint, pro gradu scilicet culturæ eorum, tum rerum externarum, prout conatus nostros aut adjuvent, aut impedian; quamobrem triplici modo damnum datum heic solet considerari, utrum DOLO, an CULPA alterius, an denique CASU contigerit. Has igitur inter caussas diversas discrimen facere accuratum, suosque cuique ponere limites, tanto majoris est momenti, quo certius tota hinc pendet quæstio. Nec tamen minus in re morali, quam in mundo physico,

fæpis-

i) JOH. O. STJERNBÖDK *De jure Sveonum & Gothorum vetusto*, Lib. II. Part. I. Cap. V. hæc refert: *Post hoc ad emtionem venditionem manuum complexum præceperunt, ante enim contractus non erat perfectus.* Sicut scilicet their handur takast. cet. IDEM l. c. de venditione fundi publici: *In horum (comitatus sui) præsentia Rex particulam ex terra venali in suum emtoris excutiebat, in signum finali totam tradi: & max addi: ad hanc mandatu olim etiam privati contraxerunt, manibus assentientib[us] extenso emtoris passio, in quod terræ modicum vendoris conjiciebat, cum solenni alienandi formula, quæ sola posterioribus seculis retenta fuit & vox sine ritu, nam & hodie confirmatio judicialis, quæ fit super ejusmodi contractu, Scotatio dicitur: Sjötnng, ob teræ iſtias, quæ olim facta sunt ex suu venditoris in suum emtoris, excusionem. Adhibebant præterea & baculum, quem daodecim firmatores tangere debebant, in signum perfecti jam contractus.*

fæpissime accidit, ut primo adspæctu facillime ex sensu cuiusque communi judicari posse videatur de diversitate rerum, mutua ita cohaerentium seque excipientium cognatione, ac serie adeo continua ab imis ad summa exsurgentium, ut subtiliori instituto examine, in ipso limite indagando vehementer hæreas dubius, sœpe etiam ad desistendum a conamine pronus.

Dolum a culpa in eo differre, & vulgo Juris Naturæ Doctores urgent, & ipsa rei ratio fvatet, quod ille in actione, alterius lædendi causa, deliberato animo suscepta, consistat, hæc vero omne propositum lædendi excludat, damnumque datum tantummodo ex defectu diligentiae & attentionis, quam quis in effectibus actionum considerandis, adhibere debuisset, oratur. Attamen in his definitionibus nonnulla desiderari, iis ritte pensitatis, facile est intellectu, cum res ipsa gradus admittat quam plurimos. <sup>a)</sup> Primo quidem actionem, alterum læden- di consilio determinato susceptam, dolum involvere, non est dubium; nihilominus longe plurimæ sunt actiones, in quibus injuria haudquaquam præcipuus est finis agentis, sed inde solum oritur, quod hic finem, sine injuria, eum comitante, obtinere non valeat, quo in casu tamen actio doli criminis non vacat, modo agens injuriæ oriundæ fuerit conscientis. Nec minus diversa est ratio conjunctionis inter finem propositum & injuriam secutam, quorum nexus aut necessarius aut verisimilis aut possibilis esse potest. Sic, ut exemplum, nostræ præser- tim disquisitioni accommodatum, adferamus, ad crimen stellio- natus minime opus est, ut qui v. c. rem eandem duobus op- pigno-

<sup>a)</sup> Cfr. *Archiv des CriminalRechts*, herausgegeben von E. F. KLEIN und G. A. KLEINSCHRODT, Band I. St. 2. N<sup>o</sup> X, B. II. St. 1. p. 216, sqq. & B. III. St. I. N<sup>o</sup> VI,

pignoraverit, alteri damum inferre voluisse censetur, nec valet excusatio, quod sibi pecuniam tantummodo comparare studuerit, cum id sine damno creditorum non fieri, satis perspectum habuerit. Item, qui telo alterum aggreditur, si vel animus occidendi absit, cædesque secuta non nisi veri similis sit, handquaquam culpam solam præ se ferre valet. Sufficit igitur ad notionem doli, si quis, effectuum noxiorum actionis suæ conscient, eam suscepere, licet forte illas non contingere optaverit, propositumque lœdendi remotius fuerit. Quodsi vero præcipue id spectaverit, crimen ejus augeri, per se patet.

E contrario in actione culposa hoc idem propositum locum habere nequit, sed culpa inde oritur, quod agens aut ipsum judicium & examen in hac vel illa re omiserit, aut prorsus facultatem recte judicandi sibi comparare neglexerit. Quo tamen imputatio locum habere poscit, debet non tantum scientia hæcce & providentia vires humanas non excedere, sed etiam in flagulis actionibus ipsi possibile esse, huic satisfacere & obtemperare; sin minus, damnum casu datum censetur. His ut veritas evidentissima constat, ita alia inde exstat quæstio, unde defectus hujusmodi cognitionis sit derivandus? Simulac enim possibile ponimus cuidam fuisse, scientiam adquirere, quod ipse neglexit, propositum hic jam existere animi libere agentis, nemo non intelligit. Si igitur originem culpæ intellectui præcipue tribuamus, proximam tantummodo causam adferimus, cum remotior illa, intellectum veri cognitione privans, in voluntate perversa faue lateat, quod præterea ad imputationem requiritur. Hinc cum etiam culpa ex proposito oriri videatur malo, quomodo tamen hoc respectu a dolo distinguatur, breviter est disquirendum. In quo diversæ observandæ sunt cum leges, tum temporum rationes. Propositum quippe malum in dolo semper ad legem certam violatam proxime refertur, in culpa ad generalem illam & inde-

termi-

terminatam, qua officium attentionis nobis injungitur, in ipsa autem actione culposa voluntas mala non invenitur, sed finis heic valde innoxius fuit agentis, nexus inter effectus actionis suæ non satis perspicientis. Latius autem magisque vagum & objecto carens est officium attentionis & diligentiae per totam vitam observandæ, quam ut negligentia alicujus in eo contendo, antequam ad facta applicetur, cum dolo posset confundi, adeoque si etiam homo negligens damnorum ex desidia ipsius in alios aliquando redundantium conscientis sibi fuerit, multum tamen ab eo differt, cui juxta ea, quæ supra diximus, dolus imputatur. Præterea ne quoad originem quidem culpa tam ex proposito malo, quam ex defectu potius boni oritur, cum scilicet haud facile quisquam negligentiam sibi ut finem proposuisse intelligi posit1), sed rectius alia ipsius studia diligentiae locum non reliquerint, adeo ut, et si primo adspectu officium diligentiae dolo violasse videatur, hoc tamen non nisi sensu valde improposito valeat, quamdui officium ipsum nondum quadantenus restrictum, objectumque ipsius magis definitum est, quo demum facto, sanctione penali inculcari potest. Cautius igitur KLEIN m) voluntatem in dolo *Positive*, in culpa *Negative Mala* appellat, utpote in illo ad actionem, cuius mali effectus sunt cogniti, se determinantem, in hac eos non examinantem; quod cum fieri debuisset, privatio hæc diligentiae virtutis ei vertitur.

Casui tandem quidquid adscribitur, id ex concursu causarum externarum, quarum effectus omnes prævidere vires superat humanas, oriiri debet, ita ut voluntati spontaneæ, perim-

B

de

1) Klein l. c. B. III. St. 2. p. 134.

m) l. c. B. I. St. 2. pag. 61.

de ac imputationi non sit locus, adeoque hoc inter culpam & casum interest, quod illa eos tantum complectatur effectus, qui perspici & evitari potuerunt, hic reliquos omnes innumerabiles. Gradibus autem culturae intellectus humani vel parum penitus tamen, quam difficile sit, in unoquaque subjecto, quid scire potuerit, quid non, determinare, facile intelligitur: quin effectus actionis ejusdem, ab homine diligenter instructo, atque ad attendendum adsveto, suscepit, culpæ etiam graviori interdum tribuuntur, cum e contrario, si agenti rudi & ignaro adscribantur, ad casum proxime accedere censeantur, saltem quamdiu nondum peculiaris quædam obligatio ad summiam diligentiam observandam aderat. Ista sentiens Cel. THOMASIU<sup>n</sup>): *Culpa denique levissima, ait, cum casui sit proxima, cum casu etiam facile confunditur. Cum enim is demum hac culpa vacuus esse dicatur, qui supremum diligentiae gradum, ultra quem hominum natura haud procedit, adhibet, quis illud punctum determinare poterit supremæ diligentiae humanæ, cum nullus fere posse fangi casus, de quo postquam contigit, dici nequeat, quod non contigisset, si hoc ita vel ita fuisset factum. Et quis est ille diligentissimus paterfamilias, aut ubi existit extra cerebrum humanum, qui normam debeat præstare aliis, cet. quæ eo usque ducere videntur, ut nullum fere inter culpam & casum discrimen agnoscens, rem in medio relinquat.* Nihilominus de re morali universa valet, eam non ad rigorem mathematicum exigendam esse, sed ipsius quantitates latitudinem quandam admittere, eo facilius excusabilem, quo major est varietas cum rerum, circa quas disciplina ipsa versatur, tum subjectorum, quibus præcepta inculcantur, unde sœpius regulæ in abstracto ad quemlibet casum dijudicandum

v) Diss. *De usu pratico doctrinæ difficillimæ Juri Rom. de culparum præstatione in contrahibys*, §. 38.

dum non sufficient, sed decisio arbitrio judicis relinquenda. Licit igitur minimam circumstantiam posse casum in culpam, & culpam in casum mutare, THOMASIO o) concedamus, non tamen aliud inde sequi putamus, quam examine, diligentia, qua fieri posit maxima, institendo, utra locum habeat, investigandum esse, ne ad alterum progressi extremum, casus fatales cum actionibus voluntariis confundentes, totam de imputacione doctrinam evertamus; qui de cetero contemtus divisionum in rebus, quæ gradus admittunt plures, se invicem excipientes, non hoc tantum, sed multis quoque aliis locis valde fore noxious, v. c. in doctrina de ignorantia, de libertate ejusque opposito, vi physica, cet.

## §. IV.

Tribus igitur causis externis, quibus res nostræ deteriores fieri possint, pro consilio nostro breviter explicatis, limitibusque earum determinatis, effectus singularium jam persequemur. Quod igitur primo ad dolum attinet, pacta vitiantem, in eo quidem cum persona, a qua oritur, tum modus quo se exferit, utrum nempe pacto aniam dederit, causaque ejus ineundi fuerit, an rei ipsi, de qua contrahitur, insit, considerari debent. p) Priori respectu dolus aut alteri paciscendum, aut tertio alicui adscribitur. Posterior si acciderit, ita ut quis cum altero absque dolo pactus fuerit, attamen fraude tertii ad paciscendum commotus, ipsum nonnisi sibi ipsi dolum

B 2

im-

o) l. c. §. 39.

p) Cfr. PUFENDORFF l. c. Lib. III. C. VI. §. 8. notas Cel. BARBEYRAC ad hunc locum, & *Philosophische Rechtslehre von L. H. JACKOB*, §. 334. sqq.

imputare posse, primo ex requisitiis pactorum in genere intellegitur, cum scilicet nihil impedit, quominus libere uterque consenserit, ratione duce adhibita; deinde inde patet, quod si ve ignorantia sive credulitas, qua quis se in errorem induc pastus est, alteri pacienti detrimentum haudquam debeat adferre. Hinc laeso non quidem ratio ad pactum rescindendum sufficiens adest, a laudente tamen reparationem danni postulare potest.

Quod si vero res ipsa, objectum pacti constituenta, dolos tertii aut laedatur, aut plane intereat, actio quidem contra ipsum injuriam passo competit; quod jus, nisi aliter conveniret, dominum rei sequitur; adeoque in pactis, dominium transferentibus, an id ante damnum datum transferit, videndum est, juxta ea quae supra disseruimus. Si igitur, facta & promissione & acceptatione, re autem nondum, aut per veram aut per symbolicam traditionem, acceptanti concessa, dolus tertii negotium abruperit, cum objectum amplius tale non maneat, quale uterque ad pacientum accedens, in mente habebat, dominus utique damnum sentiet, alterique a pacto resilire, & si quid spe rei obtinendae tradidit, repetere licebit. Traditione autem peracta, nullum novo domino contra priorem jus restat, sed contra laudentem quemcumque exoritur. Hujusmodi igitur in questionibus momentum alienationis dominii probe observandum est; quod in pactis, dominia rerum non transferentibus, aliter se habet. In illis enim damnum, nulla alterius pacientis culpa in re ipsa datum, domino tantum nocet, ut & vicissim jus contra adgresorem ipsi competit, si vel alter rem posfideat, qui, si res ad utendum ipsi concessa deterior evaserit, ad pactum servandum non porro obligatur. Quod si ante traditionem laeso facta fuerit, hunc habet effectum, ut objecto contra opinionem pacientium mutato, jus & obligatio, quae circa id versantur, ejusque causa suscepta sunt, prorsus eva-

nescant, paclumque complemento caret. Restitutionem vero non minus lucri cessantis, quam danni inde emergentis, quod accepturus re sperata carere cogatur, non a domino, culpa experte, sed a laedente postulandam esse, aequa facile liquet. Prioris generis exempla praebent donatio & emtio venditio; in quibus de cetero observandum esse, utrum res nondum sit plene alienata, an translato revera dominio, depositi tantum nomine apud priorem dominum remaneat, & notius est, quam ut longiori egeat disquisitione, & ex doctrina de traditione facile intelligitur: adeoque casum posteriorem non secundum donationis aut venditionis, sed depositi regulas decidendum esse, negotii ostendit natura. Ad posterius contractuum genus spectantia exempla, locatio conductio, commodatum, depositum, cet. offerunt; in quibus cum injurya, dolo tertii illata, culpa simul alterius pacientis, diligentiam & attentionem sufficientem in re custodienda, doloque avertendo, non adhibentis, sumpsimus contingat, damni quoque resarcendi obligatio utrumque, reatui obnoxium, spectare debet; de qua igitur questione a nobis heic agi posset; sed quoniam ipsa arte etiam cum universa de culpa doctrina cohaeret, eam rectius illic remittendam esse censuimus.

Ultima restat species dolii, a paciente in pacientem commissa, quae iterum duplex est, quatenus nempe dolus aut in causis consistit, quibus quis ad pacendum commotus est, mendacio alterius, opinionibus erroneis, cet. seductus, aut in objecto ipso pacti situs est, de cuius qualitatibus alter falsa imbutus est opinione. De utroque autem notissima Ulpiani valet regula: *nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest*, neque delicto vacat, qui alium ad secum contrahendum ita seduxit, ut hic alias contracturus non fuisset, si vel in ipso pacto per se nullum inveniatur vitium, cum caus-

fa

sa consensus eliciti nihilominus maneat injusta. Omnia quidem officia perfecta negativa tantummodo esse concedimus, ita ut nemo in statu naturali ad commoda aliorum augenda absque conventione interveniente obligetur, nec officium aliis verum dicendi, cuiquam ultra incumbat, quam ne jura ipsorum praesentia laedat: hoc tamen eo usque extenli nequit, quasi quis, alios in errores inducendo, rem suam efficere posset meliorem, quin potius, quidquid ipsi per consensum accessit, absque ipsius dolo locum non habiturum, alterius jus minuere censendum est, unde dolo hujusmodi injuriam positivam huic inferri patet. q)

Multo autem magis præstatur dolus, si quis alium ante traditionem circa ipsam rem deceperit, atque hic aliud se acceptum credat, aliud accipiat, reque accuratej examinata, consensus heic prorsus deficit, ab diversam objecti speciem, utriusque se offerentem, adeoque ipsum pactum est invalidum. Quo autem diversitas objecti revera existat, dolus ipsam rei essentiam, non accidentalia tantum & ea, quae ad ipsius pacti naturam non pertinent, respicere debet. Deinde etiam injuria aperte illata in contractu non minus, quam extra eundem ius læso perfectum tribuit, ad reparationem damni postulandam, atque eatenus quidem, ut ipsius arbitrio relatum sit, utrum pactum rescindere, an idem adhuc, eo tantummodo, quod interest, sibi restituto, servare velit. Hæc eadem injuria, post traditionem dolo illata, quod maxime in pactis realibus contingere solet, ut circa res commodatas, conductas, depositas, causam domino offert validam, pactum irritum habendi, lædentemque ad damnum datum resarcendum obligat. Adeoque in omnibus contractibus dolum esse præstandum, ex universa de officiis perfectis doctrina facile evincitur.

§. V.

---

q) Cfr. quæ in contrarium partem disserit JAKOB I., §: 335.